

SS. Trinitatis invocationem in absolutione usurpandam esse, quippe quae duodecim prioribus seculis nec in latina, nec in graeca Ecclesia fuit usurpata. Hinc S. Thomas nuper cit. scribit, nullum extare de hac re Christi praecipuum, sed hoc relinqui arbitrio sacerdotis. Quod autem adjungit Conc. Tridentinum, et caetera, indicat, se quaestiunculas illas Doctorum disputationibus relinquere.

ARTICULUS II.

AN AD FORMAM SACRAMENTI POENITENTIAE SUFFICIENT VERBA PRECATORIA ?

124. *Nota I.* Clavem sacerdotis non se extendere ad remissionem culpae nisi per modum deprecationis, censuerunt olim S. Bonaventura d. 18. a. 2. q. 1. et 2., et Alexander q. 8. et Guillelmus Paris. c. 9. de Sacram. Poenit. Hi sine dubio sufficientem esse pronuntiabant formam deprecatoriam sive impetratoriam. Quibus accesserant Joannes Mayro d. 14. q. 2. Dom. Sotus d. 3. a. 5. palam affirmans, formam hanc esse validam: *Absolvat te Christus.*

Joannes Morinus L. 8. de administratione Sacram. Poenit. c. 12. testimoniis quam plurimis ostendit, Graecos quovis seculo absolutionem sacramentalem expressisse, ac nunc etiam exprimere verbis deprecatoriis. Id quod etiam in Ecclesia latina jugiter factum fuisse usque ad seculum duodecimum fuisse probat idem Morinus c. 8. 9. et seqq.

Nota II. Advertit hic Suaresius d. 19. sect. 1. n. 25. verba precatoria seu impetratoria bifariam posse accipi; scilicet formaliter, prout nimirum non habent sensum alium, quam deprecandi; materialiter autem accipiuntur eadem verba, quae cum in sensu deprecandi proferri possint, proferuntur modo et intentione impetrandi: ut si quis pro potestate verba ista, *Absolvatur Petrus*, tanquam actum judiciale proferat, ait esse aequipollentia formae communi, qua sacerdos Petro dixerit: *Absolve te.*

125. *Dico.* Forma sacramenti poenitentiae non potest esse mere precatoria aut impetratoria. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 1. Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel et reliqui in 4. d. 14. Petrus Sotus lect. 4. de Confess., Navarrus c. 1., de Poenit. dist. 6. num. 9., Suarez, etc.

Prob. I. Christus dedit Apostolis potestatem ligandi et solvendi, eosque iudices constituit, quibus facultas sit remittendi et retinendi peccata: atqui iudex exsequens munus suum, ac decidens causas, profert sententiam suam asserendo, vel negando, neque utitur forma deprecatoria, aut aliena ope fieri postulat, quod sibi injunctum est; ergo.

Prob. II. Cum novae Legis sacramenta efficiant, quod significant, ac vicissim significant, quod efficiunt, forma poenitentiae debet significare, quod minister efficit: at hic non tantum exorat, et impetrat peccatorum remissionem, sed hanc facit, et pro potestate confert; hinc S. Scriptura non meminit precum a sacerdote adhibendarum, neque ait: *Quibus solutionem aut remissionem peccatorum postulaveritis, soluta et remissa erunt, sed quaecumque solveritis, quorum remisistis peccata.* Ergo illa tantum soluta erunt, quae habens claves et potestatem solverit: nam qui petit aliquid solvendum aut remittendum, non solvit, aut remittit.

Prob. III. Concilia Florentinum, Tridentinum et Moguntinum c. 24. (Labb.

t. 14. p. 677. D.) praescribunt sacramento poenitentiae administrando formam simpliciter enuntiativam, ut solet adhiberi in judiciis, et nusquam pure deprecativam: imo Synodus Tridentina Sess. 14. c. 3. diserte protestatur, *preces quasdam de Ecclesiae sanctae more laudabiliter quidem adjungi; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius sacramenti administrationem necessarias esse.*

B. Thomas autem Opusculo 22. scribens contra quemdam sua aetate contententem pro forma deprecatoria, ait sententiam istam esse *praesumptuosam, ne dicam, erroneam.* Tum vero subdit: *Miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

126. *Obj. I.* Christus reliquit Ecclesiae arbitrio, determinare formam sacramenti poenitentiae; ergo perinde est, sive haec utatur forma deprecatoria, sive huic plusquam undecim seculis usitatae formam enuntiativam substituerit.

R. D. Ant. Reliquit Ecclesiae arbitrio determinare formam, cujus significatio effectui respondeat C. quae non significet, quod efficit sacramentum N. Si forma hujus sacramenti tot seculis deprecatoria fuisset, non ausus fuisset S. Thomas seculo duodecimo proximo, sententiam asserentem, quod haec sufficiat, tam acri censura perstringere, et ex verbo Dei probare, quod nullo modo ad absolutionem idoneae sint haec voces, *absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus*, ut c. 1. opusculi citati argumentatur. Deinde nullum potest Concilium vel statutum produci, quandonam haec voces, *absolve te*, fuerint institute, et sua vis formalis deprecatoriis adimpleta, cum nihilominus a seculo duodecimo usque ad nostra tempora precandi formulae verbis, *absolve te*, et praemitti soleant, et subnecti.

Inst. 1. Sicut ex verbis illis Jac. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum*, etc. colligimus, formam extremae unctionis deprecatoriam esse: ita cum mox subjiciat Apostolus: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini*, pari ratione hoc idem de forma poenitentiae sacramenti demonstrabimus.

R. N. *paritatem.* 1°. Quia sequela contradicit Concilio Tridentino, quod formas deprecantes ab essentia sacramenti poenitentiae penitus arceat. 2°. Quia B. Jacobus per verba, *confitemini*, etc. sacramentum quidem confessionis indicat; sequentibus tamen verbis, *orate pro invicem*, etc. solum preces ferventes justorum omnium intelligit, quae vim sacramenti non habent, sed impetratoriam solam ex opere operato, ut ratio mox addita indicat: *Multum enim valet deprecatio justis assidua. Elias erat homo similis nobis, et oravit, ut non plueret, et non pluit annos tres*, etc. Quin etiam, si juxta vocis graecae significationem accurate sententia Apostoli latine reddatur, ita sonat: *Precamini pro vobis mutuo, ut sanemini, ὁπῶς ἰαθῆτε*: unde beneficium temporale solum tali oratione impetrandum colligimus. 3°. Certum est, illis verbis Apostoli promulgari institutionem unctionis extremae: ita enim declarat Synodus Trident. Sess. 14. c. 1. de Extr. unct. At poenitentiae sacramenti institutionem malunt Patres deducere ex illis verbis Joan. 20. *Quorum remisistis peccata*, etc. ut eadem Sess. de Sacram. Poenit. cap. 1. et seq. tradunt, Sicut ergo Ecclesia materiam et formam unctionis

extremæ ex verbis institutionis Jac. 5. intelligit : ita etiam materiam et formam sacramenti pœnitentiæ ex verbis Christi Joan. 20. illud instituentis debet investigare, et revera investigat, ut crebro fatetur Tridentinum locis citatis.

Inst. 2. S. AMBROSII L. 1. de Pœnit. c. ult. (opp. t. 2. p. 415. A.) Satis, inquit, est ad remissionem peccati obsecratio, quæ fit a pluribus; ergo.

R. N. Cons. S. Doctor non loquitur de remissione et absolutione sacramentali, sed de reconciliatione publice pœnitentium : nimirum dandam esse iis veniam, indulgentiam et pacem, pro quibus multi sua obsecratione intercedunt : hancque moderationem adhibendam, Pauli auctoritate confirmat, et subdit : *ne tristitia pœnitentem tædio longæ dilationis absorbeat.*

Inst. 3. Idem S. Doctor L. 3. de Spiritu sancto c. 19. omnem sacerdotibus potestatem absolventi adimit, sola precandi facultate relicta, dum ita disse- rit : Neque enim in suo, sed in Patris, et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt (sacerdotes), isti rogant, divinitus donat.

R. N. Ass. S. AMBROSII indicat solum Deo tanquam præcipuo auctori tribuendam esse remissionem peccatorum, sacerdotes vero tanquam ministros suum ad id exhibere obsequium; nihilominus vere absolvere, nam allegat verba Christi : *Quorum remisistis, etc.* Deinde etiam formam nostram indicat dicens : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, a sacerdotibus peccata dimitti.*

Ultima verba S. AMBROSII explico *Dist.* Isti rogant formaliter antequam remissionem peccati impertiant, et dum formam remittendi efferunt, rogant virtualiter et æquivalenter C. quasi ipsa formula remissionis fuerit precatio formalis N. Sacerdos dicens : *Absolvo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, æquivalenter et virtualiter orat, quia sciens, effectum sacramenti præcipue a Deo solo pendere, sequæ tantum ut ministrum et instrumentum Christi nomine agere, præces Ecclesiæ præmittit, et cum affectu deprecantis subjicit verba indicativa, sententiam absolutionis pronuntiando, iisque Deum determinat ad dandam pœnitenti gratiam. Hanc esse S. Doctoris sententiam constat ex iis, quæ protinus addit : Per Baptismum quoque peccata donari non est ambiguum. In Baptismo autem operatio Patris et Filii et Spiritus sancti est. Item AUGUSTINUS variis locis, ac præsertim L. 5. de Bapt. c. 20. Quomodo exaudit, inquit, homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent etiam per homicidas. Atqui omnes consentiunt, formas Baptismi et Eucharistiæ semper ac necessario fuisse indicativas : nam AMBROSIIUS L. 4. de Sacramentis c. 4. n. 14. (opp. t. 2. p. 368. D.), ubi venitur, inquit, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Et Patres citati de Eucharistia supra, diserte contestantur, Eucharistiam fuisse confectam a Christo, et hodie dum a sacerdotibus confici ver- bis hisce : *Hoc est corpus meum.* Igitur hi duo et alii Patres aliud nihil volunt, quam quod Deus sacerdotem super panem et vinum verba proferentem exaudiat, et ad ejus verba indicativa convertat elementa in corpus et sanguinem Christi, atque idem in Baptismo, Confirmatione et Pœnitentia faciat, tribuendo gratiam iis super quos forma sacramenti profertur.*

Inst. 4. AUGUSTINUS serm. 23. L. 50. homil. (al. serm. 99. n. 8.) in illa

Christi verba Lucæ 7. *Fides tua te salvam fecit : Medicus bonus, inquit, ægros non solum præsentem sanabat, sed et futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano quemcumque baptizo.. Respondeat illi (hæretico) non ego, sed Christus : o homo, quando ego a Judæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. Non ego, respondet tibi Christus. O hæretice, tu cum sis homo, dicis : Veni, mulier : ego te salvam facio. Ego cum putarer homo, dixi : vade, mulier ; fides tua salvam te fecit. Deinde contra eosdem hæreticos argumentatur ex facto et exemplo Christi mulieri dicentis, non dimitto, sed dimittuntur tibi peccata tua; item ex verbis Christi : *Accipite Spiritum sanctum;* item ex verbis Apostoli 1. Cor. 3. et 6. *Spiritus Dei habitat in vobis,* ut confutet dicentes : si non dimittunt homines peccata, falsum est, quod ait Christus : *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cælo;* respon- det enim hoc Christum dixisse, quia Spiritum sanctum daturus erat homi- nibus, qui peccata remittit, et Deus est. *Subsumit Morin. :* atqui non potuis- set AUGUSTINUS ita, nisi inepte contra hæreticos argumentari, si ipse et alii sacerdotes Catholici hac forma : *Absolvo te,* aut simili indicativa usi fuis- sent; ergo tum temporis forma hæc indicativa non erat usitata.*

R. D. Ant. AUGUSTINUS ita argumentatur contra hæreticos, horum formulam, qua in sacramentorum administratione utebantur, comparando cum verbis, quæ Christus peccata dimisit N. comparando modestiam verborum Christi cum insolentia verborum, quæ se hæretici extra admini- strationem sacramentorum jactabant C. Explicatio patet vel ex unica hac phrasi hæreticorum, quam S. Doctor refert : *Ego sano quemcumque baptizo,* quod non potest accommodari ad formam Baptismi. Item quod Christus ad condonanda peccata non usus fuerit verbis; nam dum ait : *dimittuntur tibi peccata,* indicavit tantum hoc externo signo internam voluntatis suæ affectum, quo solo ei peccata remisit. Hinc N. *subs.* Tametsi enim hodie usurpemus formam indicativam, impertiendo absolutionem; si quis tamen sacerdotum nostrorum ex hac formula, et ex verbis Christi Matth. 16. et 18. et Joan. 20. ansam caperet cum illis hæreticis se efferendi, tanquam suamet potestate et auctoritate peccata dimitteret, eisdem verbis Christi et aliis argumentis Augustini, a nobis vere et apte confutari posset. Denique hæretici illi occasione errandi sumpserunt ex formulis indicativis, quæ utebantur; neque enim deprecatoria forma fieri id potuit. Ergo tunc tem- poris sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ per formas indicativas administra- bantur, cum non possit ostendi, quod soli hæretici iis usi fuerint; ergo falsum est, quod duodecim primis seculis forma deprecatoria in usu fuerit.

Inst. 5. Guillelmus Paris. Episc. c. 19. de Pœnit. (opp. t. 1. p. 499. C.) Neque more judicum forinsecorum, inquit, pronuntiat confessor, absolvi- mus te, non condemnamus, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam satisfactionis tribuat; ergo.

R. N. Cons. Guillelmus solum indicat, confessorem abhorreere a statu, quo judices seculares ferunt sententiam numero plurali dicendo : *absolvi- mus te;* neque etiam condemnare reos, sed modeste dicere numero singu- lari : *absolvo te,* neque id sine præmissis ad Deum precibus. Quæ responsio patet ex Alex. Halensi, qui fuit æqualis et familiaris Guillelmi, et p. 4. q. 21. membro 1. in 0. ait, precibus pro pœnitente præmissis sacerdotes

subjungere formam indicativam, qua sententiam pronuntiant. Hinc cum Franc. Mayro in 4. d. 14. q. 1. retulisset, in provincia Provincie aliquos ita absolvisse: *absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*; ad 3. respondet, improbatam fuisse istam formam, quia sacramentalia sunt stricti juris, et ideo immutari non debent. Ergo Guillelmi et Mayronis testimonia Morinum non juvant, cum vel inde constet, formas deprecativas recentes fuisse.

Inst. 6. Ut ex manuscriptis variis intelligimus, Ecclesie quoad precesiones super pœnitentes conveniunt, non item quoad formas alias; aliquæ enim habent: *sis absolutus a me*; aliæ: *absolvimus te*; aliæ: *absolvo te*. Si ergo sacerdos pœnitentem non absolvat precando, non una et eadem fuit olim absolutionis formula; ergo neque idem sacramentum Pœnitentie.

R. D. M. Non fuit formula absolutionis eadem grammaticæ C. eadem moraliter N. Imperativa et indicativa, numeri singularis aut pluralis, idem sensu communi significat.

127. *Obj. II.* In Ecclesia græca prioribus seculis hujus sacramenti forma fuit mere deprecativa: nam in Euchologio typis edito, et in pluribus manuscriptis nihil præter preces a sacerdote pro remissione peccatorum pœnitentis ad Deum fundendas præscribitur. Recentiores item Græci, ut Nicolaus Cabasyllas et Hieremias Patriarcha C. P. responsione 1^a. ad Lutheranos, in eisdem precibus formam absolutionis statuunt: atque hodieum quam plurimi sacerdotum Græcorum aliter non absolvent; ergo.

R. N. *Ant.* Eædem semper fuerunt formæ sacramentorum in utraque Ecclesia, et prorsus immutatae in omnibus Ecclesiis, ut fatetur Morinus ipse c. 18. n. 2. Cum ergo Florentinum Concilium, nihil contradicentibus Græcis, ac postea Tridentinum dicant, hujus sacramenti formam solam esse verba, *absolvo te*, vel his similia, sequitur formam Ecclesie græcæ nunquam deprecatoriam fuisse. In Euchologia autem tantum relatæ sunt ceremoniæ et preces prolixæ, ab omnibus sacerdotibus super pœnitentes promendæ, non ut eis pœnitentes absolventur, sed ut adjungerentur formulæ, quæ absolutio perficiebatur, quæ in antiquis Latinorum et Græcorum Ritualibus et Pœnitentialibus, justa ex causa omittantur. Atque hoc Euchologiorum silentium præbere occasionem potuit, cur nulli recentiorum Græcorum in sola deprecatione sacerdotum, vim remittendi peccata sitam esse putent, et formam antiquam omittant, quæ sensu indicativo constat, et qua non pauci alii tum Catholici, tum Schismatici etiamnum utuntur, teste Arcudio de Concordia utriusque Ecclesie L. 4. c. 3. Presbyteri enim eorum dicunt: *Habeo te venia donatum*; Episcopi vero: *Mea mediocritas habet te venia donatum*; alii: *Divina gratia sanctissimi Spiritus per me peccatorem et minimum servum suum habet condonata, quæcumque peccasti*. Hanc quidem Gabriel Philadelphensis Episcopus habet: priorem vero tradidit Arcudio Nicephorus quidam Ecclesie Constantinopolitanæ Archidiaconus et Protosyncellus vir doctus. Idem Arcudius ex manuscripto, Russorum idiomate conscripto, talem absolutionis formulam legit: *Ab omnibus peccatis, quæcumque nunc coram me indigno confessus es, liberum te faciat. Ego quoque Pater tuus spiritualis, potestate mihi a Deo et superioribus concessa absolvo te ab omnibus peccatis tuis. Det ergo tibi Deus, ut in hoc et in*

futuro seculo irreprehensibilem te sistas iudicio ejus, qui est benedictus in secula. A duobus autem Antiochenis Patriarchis hanc accepit: *Mediocritas nostra habet venia donatum spiritualem filium suum.* Quæ quidem formæ omnes idem sonant apud Græcos, ac si quis latine diceret: *Do tibi veniam, mediocritas mea dat tibi veniam*; hinc omnes sufficiunt ad absolvendum. Minime vero sufficiet, si quis diceret: *Ipse Domine dimitte, remitte, condona peccata hujus N., quia tua est potentia, et tuum regnum Patris*, etc.; habet enim hæc forma significationem substantialiter diversam ab ista, *absolvo te*; adeoque isti æquivalere non potest.

Inst. 1. Euchologia habent formas Baptismi, Confirmationis, Ordinis, et Extremæ unctionis; at non apparet ratio, cur formam Pœnitentie non contineant; ergo forma Pœnitentie sunt illæ preces, quas sacerdotibus super confessos dicendas præscribunt.

R. N. *Ass.* Ideo Euchologia non habent formam pœnitentie, quia manuscripti, unde excerpta sunt, eandem non habuerunt, quæ tamen formas quatuor illorum sacramentorum continebant: sicut etiam Ritualia latina habent quidem formas quatuor illorum sacramentorum, quin Pœnitentie formulam habeant.

Quod si queras, cur cæteris formulis accurate consignatis in veterum Ritualibus et Euchologiis utriusque Ecclesie, Pœnitentie solius forma desideretur?

R. Euchologia et Ritualia antiquorum condita fuisse eo tempore, quo formæ sacramentorum viva voce ministris tradebantur, nec sine necessitate scripto quidquam mandabatur. Opus autem erat, litteris consignari preces in Pœnitentie sacramento et aliis usitatas, eo quod plures essent ac prolixæ: item formas et ceremonias quatuor dictorum sacramentorum, quod aliæ atque in speciem diversæ adhiberentur in utraque Ecclesia, ut citra confusionem quælibet suos ritus religiose conservaret. E contra quoniam forma, *absolvo te*, brevissima erat et perpetuo communis utriusque Ecclesie, nulla urgebat necessitas hanc litteris mandandi.

Inst. 2. Clemens VIII. in instructione super ritibus Græcorum anno 1595. edita, jubet presbyteros Græcos, homini Latino in necessitate absolutionem tribuentes, uti forma a Concilio Florentino præscripta, eisque permittit adjicere preces, quam pro forma absolutionis tantum adhibere alias consueverunt; ergo Pontifex videtur approbare ut validam sacramenti hujus formam precesionis ab ipsis in pœnitentes Græcos prolatam.

R. N. *Cons.* Simpliciter et absolute jubet adhiberi formam Concilii Florentini; ergo solam formam deprecatoriam, aliis Græcis usitatam, tanquam insufficientem repudiat: nam alioqui hanc permetteret, et non adstringeret ipsos ad formam Concilii Florentini. Sicut dum eodem decreto Græcos Episcopos Latino Episcopo subjectos a Græco Episcopo ordinari permittit, non interdicat, eos forma et ritu græco ordinari, etsi hæc a Latinorum ordinatione plurimum differre videantur, approbantur tamen a Pontifice ut sufficientia; ergo illam formam deprecatoriam ad sacramentum Pœnitentie conficiendum ut nullam et invalidam prohibet.

Inst. 3. Quidam recentiores etiam Theologi censent, valere formas precesionis in Pœnitentie sacramento, quamvis sint illicitæ; ergo.

R. N. *Cons.* Francisci quidem Mayronis hæc erat opinio: sed venia dignus

erat, quod ante Concilia Florentinum et Tridentinum scripserit. Hanc autem veniam non æque merentur nonnulli, qui cum Estio, post illa Concilia idem dicere ausi sunt. Cæterum Morinus Dominicum Sotum, Vasquesium et Belarminum immerito in suam sententiam pertrahere conatur; contrarium enim docent: ac Sotus quidem in 4. d. 14. q. 1. a. 3. *Qui deprecatione, inquit, solum utitur, non absolvit, sed absolutionem petit a Deo.* Et §. ult. negat valere formas: *Absolvat te Deus, vel, tribuat tibi absolutionem,* eo quod deprecative accipiantur. Hanc ergo formam, *absolvit, vel, absolvat te Christus,* cum valere ait d. 3. q. un. art. 5. imperative accipit, non deprecative. Quo modo Arcudius recte ita argumentatur: *Si in sermone trito illa verba, parcat tibi Deus, idem sonant, quod, ego tibi parco, profecto poterunt in sacramento, nisi aliud obstet, h. e. Ecclesiæ consuetudo, eodem sensu dici, et valebit sacramentum.*

128. *Obj. III.* Christus Matth. 16. et 18. et Joan. 20. dedit etiam Ecclesiæ potestatem ligandi et solvendi a censuris, et nihilominus sola preceatione possunt absolvi ab excommunicatione; ergo etiam a peccatis.

R. N. *Cons.* Etiam nutu, scripto, familiari conversatione, collatione officii aut beneficii possunt absolvi ab excommunicatione, quamvis absentes; quod tamen nemo de sacramentali absolutione dixerit. Igitur cum absolutio a censuris non sit actio sacramentalis, arbitrio Ecclesiæ omnino permissa est. E contra sacramenti forma a Christo determinata, ab Apostolis tradita Ecclesiæ, ab hac immutari non potest.

ARTICULUS III.

QUIS SENSUS SIT VERBORUM FORMÆ HUIUS SACRAMENTI?

129. *Nota I.* Jam supra n. 97. ad Instantiam meminimus, Magistrum non extendere potestatem clavium ad remissionem culpæ: nam dist. 18. Lit. F. scribit, sacerdotibus tantum concessam esse potestatem *solvendi et ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos.* Unde sensus verborum, *absolve te,* alius ipsi non est, quam, *absolutum ostendo et declaro.* Hunc sequuntur ibid. q. 1. a. 2. S. Bonaventura, Gabriel, Major, Alexander 4. p. q. 21., Medina tract. 2. q. de effect. absolut.

Nota II. Sensus alius horum verborum est: *Absolve te,* non a culpis, sed ab obligatione eas subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Hanc interpretationem referunt S. Bonaventura et Alexander, et ex parte sequitur Gabriel d. 18. q. 1.

Richardus autem Victorinus L. de Potest. lig. et solv. c. 21., Hugo Vict. L. 2. de Sacram. p. 14. c. 8. et Scotus d. 14. q. 2. ad 2. arbitrantur, verbis illis significari remissionem pœnæ vel æternæ, vel temporalis, juxta indigentiam pœnitentis. His adversatur Jansenistarum error, qui totam reconciliationem peccatoris cum Deo fieri putant contritione perfecta et debitæ satisfactionis executione: unde hanc præmittendam esse contendunt, ac demum a sacerdote verbis illis declarari oportere, ipsum a peccato jamjam esse immunem.

130. *Dico I.* Sensus verborum absolutionis non est: Ego te ostendo, declaro a peccatis absolutum. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 5. et in dist. 18. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. et cum eo Theologi veteres ac recentiores.

Prob. Argumentum, quo ex verbis S. Scripturæ utuntur, Richardus ita proponit c. 12. *Extat quorundam sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius, quam refellenda: putant enim et prædicant, Sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos: sed numquid Dominus dicit, quodcumque ligatum ostenderit erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderit erit solutum? Dicunt, Apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat.*

Ex eisdem Christi verbis Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 6. decidit, sacerdotis absolutionem non esse *solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Et can. 9. contrarium propugnatur anathemate ferit.

Conf. 1. Declaratio ista peccati remissi non fit Deo, neque Ecclesiæ, cum plerumque secreta sit: nec fieri semper potest pœnitenti, qui sæpe surdaster est aut moribundus sensu destitutus; ergo esset sermo plane otiosus.

Imo cum effectum divinæ gratiæ et remissionis peccatorum jam præsumeret, secundum se quoque esset omnino inutilis æque ac fides, qua hæretici credunt remissa sibi esse peccata per Christum.

Conf. 2. Hac Magistri explicacione enervatur omnis potestas ecclesiastica. Quis enim dixerit, Papam et Episcopos illis Christi verbis, *quæcumque alligaveritis, et solveritis,* etc. vere accepisse facultatem dispensandi, aut censuris adstringendi, si aliud nihil possint, quam declarare, hunc lege non teneri, hunc esse ligatum?

Denique supervacaneum foret ministerium sacerdotum; cum quivis doctus et prudens vir conscientiam pœnitentis accuratius posset explorare, ac de obtenta peccatorum venia iudicium ferre, quam sacerdos, qui litteris et ingenio minus polleret.

131. *Dico II.* Neque sensus formæ absolutionis est: Absolve te obligatione subjiciendi peccata clavibus.

Prob. I. eod. argum. Christus Joan. 20. dedit potestatem remittendi peccata: at solverè aliquem ab obligatione præcepti, non est remittere peccata; ergo hoc sensu non exercetur proprie facultas a Christo sacerdotibus impertita.

II. Nullum sensum talis absolutio haberet, si quis confiteretur tantum peccata venialia, aut lethalia alias jam legitime in confessione prolata.

III. Potest quis absolvi a peccatis, quin ab obligatione illa confitendi solvatur, ut in materia de casibus reservatis indicatur.

IV. Ad talem effectum non oporteret gratiam conferri in sacramento, nec requireretur dispositio ulla supernaturalis in pœnitente ad obligationis huius solutionem obtinendam; ergo talis absolutio nihil participaret de ratione sacramenti. Imo nec utilis esset nec necessaria, cum se onere confitendi sola culparum suarum narratione peccator exsolvere posset, sine forma ulla verborum ab audiente sacerdote adhibita.